

/ Maximae arti, Cardinalis Illust/me, unique omnium uti saluber-
rimae, ita difficillimae, ejusmodi plane Doctore opus erat, qui quas
ipse leges ac praecepta traderet, iis ab ineunte jam aetate ad extre-
mam usque senectutem paruisset. Quem enim admodum ejus rei vel uti-
5 litas alliciat, vel non terreat asperitas, quam à praecipiente aut
negligi noverit, aut formidari? Me vero, quam sedulus adhuc hac in
arte quamque assiduus fueris, ne pluribus hoc loco praedicem, oculi
tui vel absentem impediunt, quod apud te charta quoque ipsa tuis as-
persa laudibus erubescat. Et optandum sane fuerat, ut tuum hunc non
10 magis ingenii foetum quam pietatis, non deterior Gallicam in lucem
manus vocaret, quam cujus ille beneficio italicam primum aspexerat.
Sed tamen, quanti eum faciam, quantumque nostrorum hominum interes-
se putaverim, ut is omnium primo quoque tempore manibus tereretur,
vel ex eo clarissime, opinor, intelliges, quod ne expectare quidem
15 potuerim, dum elegantior et cultior alterius ex officina prodiret.
Quippe, tanti enim putavi, meam Gallorum etiam nostrorum oculis imp-
peritiam teneri, dum, hoc quasi pretio, morae vel tantulae dispen-
dium redimerem. Tu vero, Cardinalis Illust/me, prolem agnosces tuam,
novo sese tibi, non vultu, sed cultu probare gestientem. Et, quae tua
20 est humanitas, placebit tibi, sat scio, peregrinae vestis insolentia;
sine qua nullum in Galliis apud excellentioris linguae rudes et im-
peritos aditum habere potuisset, hoc est, fructu, quem ex eodem spe-
ras atque expetis, amplissimo caruisset. Vale, Cardinalis Illustris-
sime, hacque luce perdiu communem ad christianae Reipublicae utili-
25 tatem fruiere.

Celsitudini tuae addictissimus

Sebastianus Hardysius

Lutetiae Parisiorum XII^o Cal. Novemb. Ann. 1620.

Ad.: Illustrissimo Cardinali D. D. Roberto Bellarmino Societ. Jesu.

Rōmam (cachet)